

§ 2. QUA RATIONE EUCHARISTIA SIT CUSTODIENDA VEL AD INFIRMOS  
DEFERENDA.

**183. I.** S. Eucharistia asservanda est in ecclesiis parochialibus et cathedralibus, eo praesertim fine ut semper dari possit infirmantibus; insuper in ecclesiis Regularium et Monialium vota sollemnia emittentium, vel saltem iisdem spiritualibus favoribus gaudentium ac si sollemnia emitterent. (n. 85)

Ut alibi conservetur, puta in oratoriis Seminarii vel Religiosorum qui Regularium privilegiis non fruantur, vel etiam intra septa monasterii Monialium (Trid. Sess. 25 de Reg. c. 10), requiritur Indultum Apostolicum vel immemorabilis consuetudo, quae hujusmodi Indulti praeumptionem inducit. (Bened. XIV Const. *Quamvis justo*, 30 Apr. 1749)

**II.** Custodia S. Eucharistiae pertinet ad parochum aliumve sacerdotem qui ecclesiae praefectus sit. Gravissimis autem verbis a RR. PP. praeceptum est iis ad quos pertinet "ne omnino neglegant apud se accuratissime tabernaculi clavem retinere aut alio tutissimo loco asservare." (Litt. Encycl. jussu Bened. XIV missae a S. C. Ep. et Reg. 9 Febr. 1751).

Haec igitur clavis custodienda est per sacerdotem, non autem per aeditum laicum vel moniales, ut e pluribus S. C. R. decisionibus liquet. (Coll. S. R. n. 579 etc.) Attamen licere ut ab istis custodiatur, ubi viget immemorabilis consuetudo, censet S. Alph. (n. 424). Quare, in regionibus nostris, ob receptam consuetudinem, poterit sacerdos clavem hanc asservare per alium cui prorsus fidere queat et diligenter invigilet. At, si talem vigilantiam notabiliter neglegeret, puta dum sineret clavem reliqui in altari vel in alio loco omnibus obviā, grave peccatum admitteret. Ita etiam, ob quamdam necessitatem, servari potest consuetudo ut clavis tabernaculi retineatur a monialibus quarum oratorio nullus sacerdos addictus sit. (Gasp. de Euch. II. n. 999)

**III.** Sacrae particulae conservandae sunt "in pyxide ex solida decentique materia eaque munda et suo operculo bene clausa, albo velo cooptata." Ipsa autem pyxis reponenda est in tabernaculo "clave obserato" quod sit "conopaeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum." (Rit. Rom. tit. IV. c. 1. nn. 4 et 6) De his praescriptionibus notandum:

1º Plurimum decet, nullibi tamen stricte praecipitur, ut ciborium argenteum intus deauretur. Tum ciborium, tum ostensorium et lunula possunt esse e cupro deaurato. (S. C. R. 31 Aug. 1867; Coll. S. R. n. 3162)

Haec non sunt consecranda, sed, juxta Rubricam Missalis (Ritus serv. in celebr. Missae, II), benedicenda. Multi tamen AA., quorum sententiam S. Alph. (n. 385) non improbabilem esse opinatur, censem hanc benedictionem tantum esse de congruo.

2º S. C. R. pluribus responsis (ex. gr. 18 Martii 1878; Coll. P. F. n. 761) edixit obligatorum esse usum conopaei seu veli quo tabernaculum tegatur. Attamen, cum in regionibus nostris vigeat consuetudo illud non adhibendi, eam servare licet, immo (ad vitandam discrepantiam) praestat, donec episcopi eam abolendam duxerint. Cfr. n. 251.

**184. IV.** Coram tabernaculo lampades plures, vel saltem una, diu noctuque perpetuo collucere debet. (Rit. Rom. l. c.) Hoc praeceptum obligat sub gravi ita ut letaliter peccet qui, voluntaria neglegentia, causu fuerit ob quam per notabile tempus (puta 24 horas) SS<sup>mum</sup> absque lumine remanserit. (Bus. ap. S. Alph. n. 248)

Lampades illae regulariter alendae sunt oleo olivarum; quod si absque magna difficultate haberri nequeat, potest episcopus permittere ut adhibeat aliud oleum, etiam minerale, ut petroleum; praferenda tamen sunt olea vegetalia. (S. C. R. 9 Jul. 1864; Coll. S. R. n. 3121) Cfr. Stat. Mechl. n. 247.

**V.** Hostiae consecratae *frequenter* renovandae sunt (Rit. Rom. l. c. n. 7), veteribus vel distributis vel a sacerdote consumptis, statim postquam pretiosissimum Sanguinem in Missa sumpserit.

Renovatio ista, juxta Caerimoniale Episcoporum (lib. I. c. 6) et decretum S. C. R. (12 Sept. 1884; Coll. P. F. n. 768) facienda est saltem semel in hebdomada. Nihilominus non videtur deesse sua probabilitas opinioni AA. etiam recentium (ut Lehmk. II. n. 132; Gardellini, in adnot. ad n. 4623 sua Collectionis S. C. R., etc.): non esse inquietandos sacerdotes qui saltē quintodecimo quoque die ss. species renovant. Nititur haec sententia praesertim Const. *Etsi Pastoralis* (2 Jul. 1742), in qua Bened. XIV commendat Italo-Graecis ut hanc renovationem saltem quintodecimo quoque die faciant, et statutis plurium Conciliorum Provincialium idem praescriventium.

Quodsi locus in quo ss. species serventur esset valde calidus et humidus, attendendum num crebrior renovatio esset necessaria. Nam, in talibus adjunctis, saepe post tres vel quattuor dies species incipiunt fieri mucidae. Neque exspectandum donec maculae nudis oculis cerni possint: nam quando id continget, jam tota substantia, exiguis filis fungi opera, notabilem mutationem chemicam passa erit. Cfr. von Olfers, *Pastoralmed.* p. 195 seqq.

Graviter peccaret qui hanc renovationem per longum tempus, puta

unum alterumve mensem, omittet, vel etiam per tempus brevius, si, ob peculiaria adjuncta, ss. species corruptioni exponerentur.

**185. VI.** Si sacerdos post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutiones, deprehendit reliquias alias relictas consecratae, eas sumere debet, sive parvae sint, sive magnae, quia ad idem sacrificium pertinent. (Rubr. de def. VII) Idem faciendum est, si reperiuntur etiam quando sacerdos jam in sacristiam rediit, vestes tamen sacras nondum exuit; si vero vestes sacras jam exuit, reliquias illas in tabernaculo collocet vel reservet alteri sacerdoti eodem mane celebraturo; ubi neutrum fieri potest, ipse eas sumat.

Reliquias vero ad aliud sacrificium pertinentes quas forte sacerdos post sumptionem repererit, certo sumere potest si id necessarium est ad cavendum irreverentiae periculum. Idem probabiliter licet, si eadem reperiantur antequam sacerdos sacras vestes exuerit. Idem enim hic casus est ac sacerdotis qui ciborum purificaret postquam jam sumpsisset ablutiones: quod licitum reputant multi (La Croix, l. 6. p. 1. n. 502; Gury, II. n. 315), ubi inadvertenter omissa est purificatio, quia moraliter una consumptio sacrificii reputatur. Si vero reperirentur eadem reliquiae post sacras vestes exutas, et deesset periculum irreverentiae, non licet jam eas sumere: quia tunc nulla justa ratio appetit ob quam a sacerdote non jejunio absumerentur.

**VII.** Si invenitur in altari vel alibi hostia quae certo sit consecrata, reponenda est in tabernaculo cum reliquis vel sumenda a sacerdote ante ablutiones. Attamen si dubie tantum consecrata, immunda vel mucida est, sacerdos eam ante ablutiones sumat; si nimiam repugnatiem experitur, eam reponat in tabernaculum, sed in vase mundo a reliquis distinctam, donec corrumpatur et corrupta in sacrarium projiciatur. (Miss. de def. VII et X)

**VIII.** S. Eucharistia ad infirmos deferenda est " manifeste atque honorifice " (Rit. Rom. tit. IV. c. 4. n. 6), seu adhibitis, quantum fieri potest, iis sollemnitatibus quas Rituale (l. c.) describit, ex. gr. ut sacerdos indutus sit superpelliceo et stola, ut lumen praecedat, etc.

Occulta igitur delatio minime licet nisi, in casu necessitatis, publica delatio facta sit moraliter impossibilis vel episcopi facultatem occultae delationis, a S. Sede sibi factam (ut hodie solet), sacerdotibus suis communicaverint. Ita in Stat. Foed. Amer. et in pluribus aliis regionibus communicare solent " facultatem deferendi ss. Sacram. occulte ad infirmos sine lumine illudque sine eodem retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen decenti. " Cfr. Sabetti, Theol. Mor. n. 691. Liquet in delatione, etiam occulta, quam maxime servandam esse reverentiam

SS<sup>mo</sup> debitam: modus autem quo servetur pendebit ab episcoporum statutis. Ipsi enim commendavit S. C. de P. F. 25 Febr. 1859 (Coll. n. 733) ut " in suis dioecesibus communem normam inducere satagant, quam augustissimum Eucharistiae mysterium decere existimaverint, " eosque hortata est ad decreta edenda " ex quibus delatio ss. Sacr. ad urgentes tantum causas atque ad actuale ministerii sacerdotalis exercitium coartetur, injuncta vero presbyteris stricta obligatione semper in hisce casibus S. Hostiam super pectus deferendi. " Quam maxime consulendum est ut servetur modus a Bened. XIV Const. *Inter omnigenas* (2 Febr. 1744), praescriptus pro Servia et finitimiis regionibus. (1)

Ex consuetudine factum est ut publica delatio SS<sup>mi</sup> recenseatur inter jura parochorum, ac proinde nulli sacerdoti, etiam Regulari, sine eorum facultate, liceat. Ubi vero licet delatio occulta, videndum est quid statuta episcopi vel probatae consuetudines in hac re permittant iis qui jura parochialia non habeant.

**186. IX.** Urgente necessitate, licet Eucharistiam ministrare sine lumine et vestibus sacris (quod tamen, seclusa necessitate, mortale foret), vel eamdem currendo deferre. Nequit enim supponi Ecclesiam piam matrem velle ut moribundus absque Viatico moriatur potius quam ille externus apparatus vel decorum leviter infringatur: eo vel magis quod, causa patente, nullum scandalum populo dabitus. Ex causa autem rationabili, puta nimiae distantiae, licet quoque ss. Eucharistiam deferre equitando, modo caveatur periculum lapsus. (Rit. Rom. l. c. n. 10)

**X.** Generatim, quando Eucharistia publice defertur, reverentia sacramento debita prohibet ne caput operiatur. Attamen quandoque S. Sedes indulget ut capite cooperto deferatur, praesertim tempore hiemali. Immo probabile est manere penes episcopum facultatem idem indulgendi, ob justam causam, ubi agitur tantum de sacramento ruri, non autem intra oppida, deferendo. (S. Alph. H. A. tr. 15. n. 12; D'Annib. III. n. 407. nota 8) In casibus repentinis, quando saltem moraliter impossibile est recurrere ad episcopum, poterit sacerdos uti epikeia et capite cooperto incedere. (Lehmk. II. n. 140; D'Annib. l. c.)

**XI.** Non licet Eucharistiam deferre noctu, nisi necessitas urgeat. (Rit. Rom. tit. IV. c. 4. n. 10) Haec tamen prohibitio non complectitur nisi casus ordinarios, in quibus deferenda est per vicos publicos. Ideo nihil

(1) " Ubi Turcarum vis praevalet et iniquitas, sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus: in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et numquam solus procedat, sed uni saltem fideli, in defectu clerici associetur. " (Append. Rit. Rom. p. 13)

prohibet quominus noctu deferatur ad aegrotum intra domesticos parientes monasterii, seminarii, etc. decubentem, qui sine gravi incommodo diutius jejonus manere non posset.

Poterit quoque episcopus dispensare ut, in similibus adjunctis, Eucharistia deferatur noctu per plateas ad aegrotum, qui jam a longo tempore non communicaverit. Immo, si nulla specialis consuetudo vel statutum requirit ut haec dispensatio ab episcopo petatur, poterit parochus idem propria auctoritate praestare: cum enim haec ordinatio non sit adeo gravis, non est censenda Ecclesia velle ut fideles potius longo tempore gravis, non est censenda Ecclesia velle ut aliquotiens noctu illam recipiant. S. Communione preventur quam ut aliquotiens noctu illam recipiant. (Lehmk. II. n. 161)

### § 3. QUA RATIONE EUCHARISTIA SIT DISTRIBUENDA.

**187. I.** S. Eucharistia distribuenda est eo ritu qui ab Ecclesia servari jubetur; qui accurate describitur in Rit. Rom. tit. IV, c. 2. Non est tamen omittenda illa distributio quotiensemque servari nequit aliquis ex ritibus illis ecclesiasticis, sed tantum quando sacramentum distribui nequit nisi admittendo positivam irreverentiam. (Bus. ap. S. Alph. n. 241)

Ob omissionem ritus praescripti, graviter peccaret tantum qui, nulla necessitate excusatus (n. 186), Eucharistiam ministraret sine stola et superpelliceo; leviter si idem ficeret sine lumine, omissio *Confiteor*, sola stola vel superpelliceo indutus. (S. Alph. n. 241)

Probabiliter autem sacerdos licite distribuit communionem aliis digitis, si pollice et indice nequeat ob quodcumque impedimentum: nam, cum videatur tantum levis obligatio ut pollice et indice utatur, non appareat quare ob justam causam reliquis digitis uti nefas sit. (La Croix, l. 6. p. 1. n. 490; Ball. P. n. 104) Multi tamen, quorum sententiam ut probabiliorem sequitur S. Alph. (n. 244), censem id licere tantum si alias aeger sine Viatico esset moriturus; quia, etsi tota manus sit consecrata, index tamen et pollex ex ritu Ecclesiae ad hoc munus deputantur. Sed haec ratio probat tantum id rubrica praescribi, non probat aliter fieri non posse extra casum extremae necessitatis, etiamsi sacerdos (ut supponimus) decenter et absque periculo positivae irreverentiae, aliis digitis hoc munus obire potest.

**II.** S. Eucharistia in Viaticum dari potest quolibet die et hora. Alter distribui nequit toto tempore quod effluit a repositione SS<sup>mi</sup> in Coena Domini usque ad finem Missae in Sabbato Sancto, vel (si consuetudo id conferat) usque ad cantatum Gloria (S. C. R. 13 Jan. 1882); idem, ob receptionem consuetudinem, prohibetur nocturno et vespertino tempore. Ideo tam consuetudinem, prohibetur nocturno et vespertino tempore. Ideo

non licet, absque indulto S. Sedis, communionem distribuere in Missa quae in nocte Nativitatis Domini celebratur.

Attamen, ob aliquam specialem causam, probabiliter licet communionem ministrare vespertino tempore (S. Alph. n. 252), ex. gr. si quis usque ad vesperam jejonus permansisset, quia citius communicare non potuisset. Noctu non licet nisi ob necessitatem, saltem late sumptam. Cfr. n. 186, XI.

**188. III.** S. Communionem administrare licet, non tantum intra Missam, sed tum ante, tum post Missam. Indicat quidem Rit. Rom. (l. c.) communionem post Missam quandoque tantum "ex rationabili causa", faciendam esse, et similem causam requirit S. C. R. (27 Jun. 1868; Coll. S. R. n. 3177) ut ante Missam de Requiem distribuatur. Sed, ex praxi ubique recepta et servanda, talis causa rationabilis semper censeretur adesse quando communio petitur.

**IV.** Ritum quem tenere debeat sacerdos, S. Eucharistiam distributurus *sanis*, exhibet Rit. Rom. (tit. IV. c. 2) Ubi eam ministravit extra Missam vel etiam immediate ante aut post Missam, sacerdos reversus ad altare *dicere poterit*, ideoque sine ulla obligatione, etiam ex rubrica, antiphonam: *O sacrum convivium*, etc. Versiculos vero: *Domine, exaudi*, etc. cum oratione de ss. Sacramento, *dicere debet*, cum Rituale regulam statuat, non autem facultatem det: "Mox sacerdos dicit." Quanta sit haec obligatio rubricalis explicabitur n. 250.

Ritum servandum quando S. Eucharistia *infirmis* ministranda est extra ecclesiam, exhibet idem Rit. (tit. IV. c. 4) Preces ibi praescriptas semel recitasse sufficit ubi S. Communio pluribus infirmis in eodem loco decubentibus distribuitur. Ubi vero, etiam in eadem domo, tanto inter intervallo separati jacent ut nullatenus possint ea quae sacerdos agit videre vel audire, eadem repetenda essent, puta si duo infirmi jacerent in diversis ejusdem domus contabulationibus vel in cubiculis valde distantiibus ejusdem contabulationis. (Konings, Th. Mor. II. p. 401)

Si quando infirmus particulam, etiam minimam, S. Hostiae deglutire nequit, licet ei dare simul haustum aquae vel vini, aut eidem praebere particulam cum vino vel aqua cochleari impositam. Haec enim legi jejunii ecclesiastici non adversantur: siquidem hac praecipitur tantum ut nihil sumatur ante Eucharistiae sumptionem, dum, in casu, totum illud quasi compositum e particula et liquido unica sumptione sorbetur. (S. Alph. nn. 244, 288) A fortiori licet, ob periculum sane rarissimum contagionis, praebere particulam consecratam medio aliquo instrumento, ex. gr. cochleari: nam tanta necessitas excusat ab hac immutatione ritus soliti, quae nullam positivam irreverentiam per se continet. (n. 187)

In periculo mortis versanti dare communionem cum formula : *Corpus D. N. J. C. custodiat*, etc. licet, si id necessarium sit ad gravem ejus maerorem vitandum. Nam rubrica quae jubet tunc uti formula : *Accipe, frater, Viaticum*, etc. in hoc casu cedit caritati. (S. Alph. n. 285)

**189. V.** Non licet, *ad falsam confovēndam devotionem*, uni vel plures particulas vel majoris moduli hostiam praebere. Id enim prohibuit Innoc. XI decr. 12 Febr. 1679 : “ Insuper admoneant (episcopi parochos seu confessarios) nulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. „ Propterea tamen illicitum non est plures particulas uni dare ob causam rationabilem, puta quo citius particulae remanentes consumantur. Nam, licet decretum Innoc. XI universe loquatur, ex ipso Bened. XIV (de Sacr. Miss. l. 3. c. 20. n. 1) patet id fuisse prohibitum tantum, quatenus fieret ad fovendam falsam devotionem, quae in quibusdam monialium monasteriis Galliarum vigebat.

**VI.** Si hostia consecrata dilabatur in terram, locus ubi cecidit mundandus est et aliquatenus abradendus, abrasio autem in sacrarium immittatur. Similiter si, extra corporale, cadat in mappam seu linteum quodvis, mappa vel linteum diligenter lavetur et lotio in sacrarium effundatur. (Miss. de def. X) Haec tamen rubrica non obligat sub gravi; etiam omitti posset si ablutio turbationem in populo ciceret, ex. gr. quando S. Hostia decidit in vestem aut barbam communicantis. Quodsi in feminae pectus dilaberetur, “ *decet* ut non sacerdos, sed ipsa femina particulam vel fragmentum quaerat et suis ipsa manibus sibi in os injiciat. „ (Bened. XIV, l. c. n. 7) Videndum tamen num forte, salva decentia, particula ab ipso sacerdote facile apprehendi possit, ne frustra mulier perturbetur.

Si quid de vino consecrato in terram vel tabulam ceciderit, lingua lambatur et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si ceciderit super lapidem altaris, stilla sorbeatur a sacerdote et locus bene abluatur et ablutio in sacrarium projiciatur. Si tandem ceciderit super linteal altaris, corporale, vestes sacerdotis vel tapete, ista ter sunt abluenda, calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projicienda. (Miss. de def. X) Attamen, dummodo saltem una ablutio fiat, videtur sacerdos a gravi peccato immunis. (Lehmk. II. n. 142)

**CAPUT III.****DE SUBJECTO EUCHARISTIAE.****§ I. QUIBUSNAM LICEAT RECIPERE S. EUCHARISTIAM.**

**190. I.** Ex jure divino, quilibet fidelis, etiam usu rationis plane carens, capax est Eucharistiae spiritualiter, seu cum augmento gratiae, recipiendae. Nihilominus justas ob causas Ecclesia usum abolevit, qui per multa saecula viguit, communionem infantibus dandi, et tamquam regulam statuit: non esse hodie dandam S. Eucharistiam iis qui nondum ad usum rationis devenerint, ut constat ex consuetudine universaliter recepta et Rit. Romano. (tit. IV. c. 1. n. 11)

**II.** Usus rationis hodie requisitus ad Eucharistiam recipiendam, non debet esse perfectus, sed sufficiens ad discernendum inter cibum spirituale et corporale. Potest igitur dari communio iis, in quibus apparent signa discretionis et devotionis (S. Th. in 4 dist. 9. q. 1. a. 5. ql. 4), ex. gr. dum devote assistunt Sacro et S. Eucharistiam adorant, quod saepe per quattuor vel quinque annos faciunt antequam, secundum hodiernam praxim, ad primam synaxim admittantur. (Lugo, disp. 13. n. 36) Hinc :

1º Perpetuo amentibus numquam licet dare communionem. (Rit. Rom. l. c. n. 10)

2º Amentibus qui lucida intervalla habent (1), et devotionem ostendunt, licet dare S. Communionem, secluso irreverentiae periculo. (Rit. Rom. l. c.) Iis vero qui, in articulo mortis, mentis usu carent quo antea gavisi sint, seu delirantibus, dandum est Viaticum, dummodo id sine periculo irreverentiae fieri possit, et ipsi antea pie vixerint: sic enim censendi sunt habuisse intentionem interpretativam communicandi in mortis articulo. (S. Th. 3. q. 80. a. 9)

Attamen non desunt AA. qui contrarium teneant, quia Rit. Rom.

(1) Recte notat Lugo (de Poenit. disp. 15. n. 153) fieri posse ut qui usu rationis eareant in una materia, eadem gaudeat in alia, et memorat Fratrem Coadjutorem qui per multos annos in Collegio Romano degit, usu rationis carens in omnibus fere materiis, praeterquam in sacramentorum receptione: ad quae frequenter admitti solebat.